



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1862

V. Die Markgrafen Johann und Otto verkaufen dem Kloster Neuendorf das
Dorf Pobelitz, im Jahre 1240.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55716)

V. Die Markgrafen Johann und Otto verkaufen dem Kloster Neundorf das Dorf Bobelitz, im Jahre 1240.

Johannes et Otto, dei gratia marchiones Brandenburgenses, universis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris salutem in domino. Quum eas, que per nos fiunt, ratas esse volumus actiones, in scriptis ad posteros transmittimus, ne id oblivione dubium fiat vel irritum, quod provida deliberatio procuravit. Notum igitur esse volumus omnibus presentem paginam inspecturis, quod villam Pobelitz vendidimus ecclesie beate Marie in Nigendorpe pro L marcis, eidem ecclesie cum omni jure in perpetuum conferentes. Ne autem super his cuiquam in posterum generetur ambiguitas, ea, que dicta sunt, sigillorum nostrorum duximus munimine roborari. Testes hujus sunt comes Conradus de Rhegenstein, W. de Soltwedele, Johannes Gans, H. de Angern, Gerardus de Kerchou, Fridericus de Kare, Hartmot de Breuiz, Wilkinus de Tornou. Acta sunt hec anno gratie M. CC. XL.

(Orig. fehlt. — Auch Reichard hat diese Urkunde nicht.) Aus Gercken's Dipl. vet. M. II, S. 75 „ex copiaris saec. XV.“ — Befm. 107.

VI. Pappi Innocenz IV. bestätigt dem Kloster Neundorf seine Besitzungen und erteilt ihm mancherlei Vergünstigungen, am 12. Juli 1246.

Innocentius episcopus, servus servorum dei, dilectis in Christo filiabus, abbatisse monasterii S. Marie virginis in Niendorp ejusque sororibus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis. Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse presidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursum aut eas a proposito revocet aut robur, quod absit, sacre religionis enervet. Eapropter, dilecte in Christo filie, vestris justis postulationibus clementer annuimus et monasterium S. Marie virginis in Niendorp Albertstadenfis diocesis, in quo divino estis obsequio mancipate, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus. Inprimis liquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum domini (deum) et beati Benedicti regulam atque institutionem Cisterciensium fratrum a vobis post concilium generale susceptam in eodem monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascunque possessiones, quecunque bona idem monasterium in presentiarum juste ac canonice possidet aut (ac) in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis prestante domino poterit adipisci, firma vobis et eis, qui vobis successerint, et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo prefatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis. Quinquaginta mansos terre in Niendorp cum molendino ejusdem loci et omnibus pertinentiis suis. Quinquaginta mansos terre in Bobelitz (Bobelitz) cum pertinentiis eorundem. Quinque mansos terre in Hodicesdorp (Hoddendorpp) cum pertinentiis suis. X mansos terre cum pertinentiis eorundem, quos habetis in territorio de Selechowe (Selchow). Annuum redditum XX solidorum Stendaliensium, quos habetis in villa